

Friedrich-Universität Bützow

De Ebionæis E Numero Hostium Divinitatis Christi Eximendis Periculum I. Quo Rector Et Concilium Academiæ Fridericianæ Buetzoviensis Civibus Solemnia Servatoris Natalitia Pie Obeunda Rite Indicunt

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1766?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1837132623>

Druck Freier  Zugang



Mkl h

3468



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837132623/phys_0001



ZfB ME
05. Aug. 1999

● entsäuert

Verf. dieser 7 Bützower Festprogramme
ist Christian Albrecht Döderlein.

Mull. h.
3468

DE
EBIONÆIS E NUMERO HOSTIUM DIVI-
NITATIS CHRISTI EXIMENDIS


PERICULUM I.

QUO
RECTOR ET CONCILIUM
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
BUETZOVIENSIS

CIVIBUS
SOLEMNIA
SERVATORIS
NATALITIA

PIE OBEUNDA RITE

INDICUNT.



BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

24. April 1766.

EDICITUR E NUMERO HOMINUM
MUNITO CAROLUS

FRANCIS

1780

REGIUM ET CONCILIORUM
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRAESIDENTIS

SOLIMANIA

SEPTUAGINTA
MARTIA

INSTITUTIONES DE
MATHESIA
HABITUS DE
VITIS ET
CUM CHILIANA
MATHESIA

FRANCIS


FRANCIS
FRANCIS



I. N. J.




Cogitanti mihi sæpe de primis errorum christianam disciplinam deformantium originibus, mirum plane ac incredibile propemodum visum est, posse factum esse, ut simul cum christiana religione primisque ab ejus initiis existerent, qui præcipuum locum & caput fundamentumque totius molis tollerent, negataque vera divinitate Servatoris nihil ipsi relinquerent, nisi simplicem communemque hominum aliorum naturam. Augebatur semper admiratio, cum viderem viros omnium partium plane doctissimos haud difficulter concedere, ipsam illam primam Christi ecclesiam, matrem reliquarum omnium, quæ in toto terrarum orbe existunt, ab ipso Christo quodammodo fundatam,



ab apostolis proxime post Servatoris gloriosam exaltationem effusionemque Spiritus sancti Hierosolymis collectam & institutam, quorum ipsi plerique per multos annos doctorum rectorumque munere ibi fungebantur: hanc, inquam, ecclesiam ejusmodi hostes divinæ majestatis Mesſiæ sinu suo fovisse, integrasque hujus generis factiones, NAZARÆORUM scilicet, ac imprimis EBIONÆORUM, nihil aliud fuisse, quam reliquias quasdam progeniemque illius primitivæ societatis christianæ, e Judæis in Palæstina Hierosolymisque collectæ. Jam accedebant nonnulli, qui omnino primos christianos usque ad initium *tertii* propemodum *seculi* satis æquo animo hoc hominum genus, qui Christum nil nisi simplicem hominem fuisse crederent, tolerasse inter se, ac pro fratribus agnovisse, ex JUSTINI M. aliorumque priscorum auctorum testimonio, docere me vellent. Nec facile quemquam fugit, quam improbe recentioris ætatis homines aliqui hac re abutantur, aut ad ipsam Christi religionem evertendam in universum, ludibrioque exponendam, quippe cui vel cum ipsorum Turcarum Muhammedanorumque superstitione pulcre conveniat: aut ad pingendos, excusandos certe, gravissimos errores, ipsam religionis divinitus patefactæ summam evertentes, aditumque illis, eorumque defensoribus ad veram Christi ecclesiam muniendum. Legantur, quæ disputant JO. TOLANDUS in pessimo libro, qui *Nazarenus* inscribitur, cujus vestigia BOLINGBROKIUS passim egregie premit, SOUVERAINIUS in *Platonisme dévoilè*, P. II. C. 13, ARTEMONIUS in *initio Evangel. Joan. ex antiquit. eccles. restit.* P. II. C. 10 & 42. SIM. EPISCOPIUS in *Institut. Theolog.* L. IV. C. 34. *Seç. 2.* JO. CLERICUS in *HIST. ECCLES. duor. prim. Sæc.* p. 635.

Ejusmodi cogitationes & curæ stimularunt me, ut seposita tantisper auctoritate recentiorum, quamvis cæteroquin doctissimorum hominum, ad investigandam in antiquissimis quos habemus fontibus veram rationem primitivi illius coetus judæo-chri-



christiani, cujus membra Nazaræi & Ebionæi perhibentur fuisse, paullo plus attentionis afferrem. Nec me poenitet laboris: haud levia enim vestigia mihi deprehendere visus sum, quæ nos cogunt, si a partium studio alieni cupiamus esse, longe tolerabiliorem formam doctrinæ non Nazaræorum solum, quorum causam jam alios satis bene egisse memini, sed & Ebionæorum animo informare, eosque hujus saltem gravissimi criminis, quod Mesia gloriâ divinam in universum detraxerint, absolvere. Præclare scio, hunc locum, qui in purgandis priscis hæreticis versatur, periculosa præcipitia multasque habere cautiones. Etenim istos homines ita excusare velle, ut ipsi quamvis gravissimi errores excusari eorumque foeditas dissimulari aut extenuari videantur, veritati contrarium & religioni perniciosum est, nec immerito ejusmodi conatus in GOTTOFR. ARNOLDO aliisque reprehenduntur, utpote qui periculoso indifferentismo latam pandunt viam. Attamen homines, qui istorum errorum postulantur, purgare & defendere, si cum aliqua ratione fieri possit, non modo christianum quemvis hominem, moderatum imprimis & prudentem theologum decet; sed & veræ religioni semper proficuum consentaneumque est. Quid enim verbi causa, cum pontificii de consensu antiquissimorum patrum gloriantur, omnesque suas superstitiones ipsis impingere cupiant; nonne theologis nostris utile semper atque necessarium visum est, hasce calumnias a priscis illis doctoribus depellere atque ostendere, quam longe ab hodierna religionis romanæ forma remoti fuerint? Quid igitur vetat, quo minus in reliquis a vera religione aberrantibus coetibus idem fiat? Nulla propemodum pars christianorum, etsi vel longissime a primatativaque indole apostolicæ institutionis recedat, hocce prætermittit refugium, ut errores suos a primis Christi discipulis derivare, primamque apostolicam ecclesiam in ipsa sua origine in suas partes trahere conetur. Sociniani Nazaræos nostrosque Ebionæos in partes vocant, nobisque persuadere student, eam
ipfam



ipsam sese de Servatoris persona doctrinæ formam tenere, quæ ab ecclesia omnium prima, aut ejus certe præcipua meliorique parte, propugnata, postea vero demum supervenientibus græcorum doctorum subtilitatibus repulsa & oppressa sit. Nec me fugit, veræ doctrinæ propugnationem non necessario ab hæc Ebionæorum causa pendere, aut cum eorum innocentia necessario stare cadereve. Fuerint Ebionæi, eorumque fratres, Nazaraei, præcursores *Artemonis*, *Photini*, aut *Fauft. Socini*; alix tamen præsto sunt rationes cuilibet veritatis amanti homini satisfaciennes, quibus ostendi potest, quomodo & quam longe illi homines, si quidem hunc errorem errarunt, ab Apostolorum doctrina recesserint. Nihilo secius tamen expeditior alia via excogitari mea sententia vix possit, quam si luculentis rationibus vana hæc gloriatio divinitatis Christi hostibus eripi, ostendique queat, neminem eorum, qui a Christo & apostolis instituti sunt, primamque e Judæis collectam ecclesiam constituerunt, *Photini* aut *Socini* errores vel somniando cogitasse. Neque igitur vanum aut inutilem laborem in purgandos a negatæ divinitatis Messia crimine Ebionæos infuturum me esse arbitror. Judicent vero cordati prudentesque viri, quid aut quantum rationes, a me in medium afferendæ, hac in causa efficere possint.

Integram Ebionæorum historiam subtiliter disputare, in præsentia ad rem propositam nihil videtur attinere. Placet hoc loco, præ cæteris in b. JO. LAURENTII MOSHEMII, viri nuper in hoc litterarum genere summi, sententia de Nazaræorum & Ebionæorum origine acquiescere: quæ cum antea jam nonnullis iisque doctissimis hominibus in mentem quodammodo venerit, ut HUG. GROTIUS in *Proleg.* in MATTH. LUD. CAPELLO ad *Jes.* LIII. RICH. SIMONIO *Hist. crit.* N. T. C. VII. VIII. BASNAGIO in *Exercit. hist. crit. contra Baron.* p. 398. JO. GERH. VOSSIO *de geneal. Christi* c. II. DION. PETAVIO in *not. ad Epiphani. Hæres.* XXX. GUIL. SPENCERO

in

in not. ad origen. contra Colf. p. 33. f. TILLEMONTIO *Memoires pour servir a l'Hist. eccl. T. II. p. 105.* JO. ALB. FABRICIO *ad Philastr. de heres. C. VIII. not. a. p. 20.* ab ipso Moshemio correctæ, elegantissime exornata, eaque ratione tractata atque tradita est, ut vel acerrimi socinianarum opinionum de persona Christi patroni haud ægre eam sint admissuri. Etenim cum ecclesia Christi Hierosolymis per Apostolos ex Judæis collecta, appropinquante exscidio urbis divino nutu præmonita Judæam relinqueret, ac in regiones se reciperet transjordanicas, Pellam imprimis, Peræ oppidum; totus hic cœtus ibi commorabatur, resque suas sibi habebat, usque ad Hadriani Imperatoris tempora. A quo cum post devictos rebelles Judæos nova conderetur urbs prope prisca Hierosolymas sub novo nomine *Aeliæ*, omnibusque Judæis, ad frangendos feroces spiritus pertinacissimæ gentis, ipse aspectus ac multo magis incolatus istius novæ urbis severissimis poenis prohiberetur; magna pars istius ecclesiæ, quæ adhuc, quoniam judaicis ritibus vivebat, in Judæis etiam a Romanis numerabatur, convicta tandem de abrogata Mosis cæremonialia lege, quo incolendæ novæ urbis jus ac potestatem sibi redimeret, judaicis ritibus plane renunciavit, atque in Judæam remigrans episcopum sibi constituit christianum quendam, *Marcum*, e græcis oriundum. Cessabat igitur hæctenus *Aeliæ*, cui postea a Christianis & Judæis Hierosolymorum nomen redditum est, prisca illa judaizans ecclesia, quæ judaicis moribus viverat. Neque tamen cunctis gregis istius membris Pellæ commorantis tantum fuit fortitudinis atque animi, ut ejuratis patriis moribus cum christianis ex gentibus oriundis in unum plane confluerent cœtum. Hi igitur, & Mosis legem & sedes transjordanicas retinentes, peculiarem quendam cœtum a reliquis christianis distinctum instituere coeperunt, mansitque illis nomen istud, quod primis christianis in hierosolymitana urbe, stante adhuc & florente quodammodo Judæorum republ. quoniam liberalitate ista in primo amoris fervore exercita, *Actor. IV, 34. ff.*
ad

* * *

ad summam propemodum egestatem essent redacti, a Judæis contumeliæ causâ erat inditum, ut *Ebjonim*, sive *pauperes* appellarentur. Conf. ACT. XI, v. 30. GAL. II, 10. ROM. XV, 26. Mature vero dissidio inter ipsos exorto, rursus in duas discedebant factiones. Alii prudentiores paullo atque modestiores sibi quidem, utpote Judæis genere, Mosis legem retinendam esse decernebant, sed scriptam tantummodo, resecis Phariseorum additamentis, nec idem jugum christianis, qui e gentibus essent oriundi, putabant imponendum esse. Hi quidem lapsu temporis *Nazareni*, sive *Nazaræi* vocitari maluerunt, quæ itidem erat appellatio, primis Christi discipulis a Judæis indita, *Actor.* XXIV, 5. Alii contra longe importuniores imbecillioresque & Judæorum in Christum credentium, & reliquorum, qui ad Christum ex gentibus convertuntur, cervicem Mosis legibus non tantum scriptis, sed & per majorum instituta locupletatis, subjiciendam esse acerrime contendebant: quocirca & *Paullum* imprimis Apostolum, ut Apostatam legis, variis insectabantur maledictis. Atque his quidem peculiare nomen *Ebionæorum* sive *Ebionitarum*, i. e. *pauperum*, hæsit. Vid. MOSHEM. *Institut. Hist. Christ. maj. Sec. I. P. II. C. V. §. 19. p. 465. ff. §. 20. p. 477. ff. it. Comment. de reb. Christ. ante Constantin. M. Sec. II. §. 39. f. p. 328. ff. coll. ven.* WALCHII *Entwurf einer vollständigen Kezer-Historie, Th. I. p. 99. ff.* Tota hæc res gesta nemini mira videri potest, qui veras primitivi coetus hierosolymitani rationes, indolemque Judæorum ad Christum converforum plerorumque ex ipsis *Apostolorum Actis* scriptisque *Paulli* didicerit. Obstinata ista & frangi plane nescia gens, quam indolem & hodie retinet, prærogativis sub vet. Test. ipsis concessis usque eo erat tumida atque ferox, ut ipsi illi, qui Christo nomen dederant, primis temporibus videantur somniasse, sibi solis MESSIAM esse datum, atque propterea cunctos omnium reliquarum gentium homines, si Messia participes fieri servarique cupiant, ad Judæorum leges, mores, atque rempubl. esse adjungendos. Sedabatur sensim
apud




9

apud plerosque, in quibus aliqua inerat modestia, Apostolorum auctoritate aliquo modo iste tumor, intelligebantque Deum reliquas gentes sine Mosis lege per Christi servare fidem constituisse, *Actor.* XI, 2. 18. XV, 1. 5. 22. ff. Quod ad ipsos vero Judæos attinet, ne per ipsos quidem Apostolos isti Judæo-christiani ab amore reverentiaque mosaicæ legis videntur divelli & abstrahi potuisse, vid. *Act.* XXI, 29. ff. Ferebant hoc quidem Apostoli prudentia quadam ducti, quoniam sciebant, brevi tempore fore, ut post interitum & exscidium reipublicæ & ecclesiæ judaicæ omnis vis atque potestas legum istarum sponte sit cessatura: quod & re ipsa præclare eveniebat, ut vel pertinacissimi legis Zelotæ, Ebionæi nostri, post templi exscidium eas saltem partes legis dimisisse & abjecisse videantur, quæ in Christi œconomia nullo modo perdurare potuerunt, sacrificia inquam, quorum abrogationem per Christum factam Ebionæi non intelligebant modo, sed & sensisse videntur, pertinacem & obstinatum eorum retentionem in præcipuis causis interitus Judæorum referendam esse. Vid. *Epiphan. Heres.* XXX. C. XVIII. *Opp.* T. I. p. m. 142. f. Nihilo secius tamen istud legis studium in universum magnæ istorum hominum parti tam alte erat infixum, ut non solum modestiores illi per totum istud tempus, quo ecclesia hierosolymitana ante urbis exscidium stabat, perdurarent principatumque in isto cœtu obtinerent; sed & importuni isti, qui vel ipsos ad Christum conversos gentiles ad legis cæremonias subeundas cogendos esse statuebant, ne ab ipsis Apostolis quidem compesci semper potuerint, quin ipsis propemodum inspectantibus varias cierent turbas. Contentio ista *Paulli Peritricæ* imprimis, quæ Antiochiæ acciderat, huc videtur referenda esse, *GAL.* II, 11 seqq. Patet enim ex ultimis verbis *commatis* 14, id tum in controversia versatum esse, de eoque actum, an conversi e gentibus legis judaicæ præceptis sint subjiciendi, qua sine conditione nemo Judæorum possit cum istis christianis libere versari, aut communionem familiaritatemque eorum colere?

b

lere?



lere? Isti, qui a Jacobo Hierosolymis venerant, Judæi Zelotæ, id quidem efficere intendebant: quibus cedebat *Petrus*, atque suo exemplo istorum errorem confirmabat. Ex quo ipso illud sequebatur, ut christiani e gentibus, si quidem cum Judæis unam ecclesiam constituere omnibusque Mesſiæ beneficiis plene & libere frui velint, ad judaica instituta recipienda cogendi forent. Hinc illa *Paulli* objurgatio: *τι τα εθνη αναγκαις ισθαιζειν, quid necessitatem imponis gentibus ad Judeorum mores se componendi?* igitur non parvi momenti res agebatur: sed spectabat hæc causa ad evertendum dogma istud, quod ACTOR. XV. de conversis e gentibus ab ipsis apostolis aut antea jam, quod mihi verosimilius videtur, latum & decretum erat, aut certe paullo post erat decernendum. His observatis facile inanes istæ subtilitates concidunt, quibus veterum nonnulli, quo *Porphyrrii*, ut putabant, obtreccionibus occurrerent, *Petrum* & *Paullum* simul excusare conati sunt. Etenim istud *Paulli* factum, quo *Timotheum* propter Judæos circumciendum esse putaverat, ACT. XVI, 3, quod imprimis urgeri solebat, ut *Petrum* ostenderent, solis prudentiæ legibus ductum nihil aliud perpetrasse, quam quod ipsi *Paullo* nonnunquam factitandum esse visum fuerat, istud factum, inquam, longe diversæ indolis, longeque diversofusceptum erat consilio: non propter Judæos credentes, sed ob istos, qui adhuc ab Evangelio erant alieni, neque ut cogeret *Paullus* ecclesias e gentibus collectas ad eandem legem subeundam, conf. GAL. II, 3. sed ne vel ipsum primum introitum sibi & evangelio ab ipso annunciatò apud Judæos adhuc a JESU alienatos præcluderet, si hominem præputiatum, istis Judæis adeo exosum, in suo comitatu tanquam socium & ministrum hujus prædicationis secum circumduceret. Sed ut ad rem propositam revertar, *pseudapostoli* isti, cum quibus S. *Paullo* imprimis, quod ex omnibus propemodum epistolis ejus intelligimus, tantopere & ubique fere erat confligendum, itidem exemplo sunt, quam pertinax & inexpugnabile studium, leges suas aliis christianis

anis obtrudendi, multos Judæorum, cæteroquin in JESUM credentium, ipsis adhuc Apostolis viventibus & superstitibus animaverit. Quid igitur mirum, si post Apostolorum discessum in judæo-christiana ecclesia, quæ Pellam sedes suas transtulerat, haud exigua pars, non jam moderatiorum tantummodo reliqua manserit, qui sibi ipsis certe, utpote Judæis, legem retinendam esse statuebant, sed & magnus crassissimi istius generis numerus, qui ipsas gentes ad Mosis legem adducere summo studio laborabant, proptereaque b. Paullum, præcipuum hujus superstitio-nis expugnatorem, infensissimo pergebant odio profequi.

Quod ad alteram sententiæ Moshemianæ partem attinet, *Nazaræos* primis temporibus & ab antiquissimis christianæ religionis scriptoribus uno communique nomine *Ebionæorum* comprehensos, neque aliud quid, quam certum quoddam hõrum genus fuisse; non ex illo tantum *Origenis* loco ista conficitur, ad quem b. *Moshemius* provocat, L. II. *contra Cels.* C. I. p. 56. *Edit. Spenc.* eique tantum roboris tribuit, ut hanc sententiam vix everti posse pronunciet, *Institut. Hist. christ. maj. Sec. I. P. II. C. V. §. 20:* sed & alius occurrit apud eundem *Origenem*, non minus perspicuus, qui plane nullam videtur exceptionem admittere. *Serm. de duobus Coecis*, opp. T. II. p. m. 88. *Duo Coeci*, inquit *Origenes*, *sunt Juda & Israël - - - turba ergo multa ex gentibus exeunte cum Jesu & discipulis ejus de mundo, JUDAICÆ QUÆDAM RELIQUIÆ juxta viam sedentes, i. e. juxta propheticas scripturas, & MENDICANTES INTELLECTUM NECESSARIUM ANIMARUM SUARUM - - - fortiter clamabant, filium appellantes David. Et cum videris eos, QUI EX JUDÆIS CREDIDERUNT IN JESUM, aliquando quidem ex Maria & Joseph esse eum putantes, aliquando autem de sola Maria & spiritu sancto; videbis quomodo ille cæcus clamabat, fili David miserere mei. Quem increpant multi, qui de Hiericho egressi ex gentibus sunt, populum*



pulum videlicet, QUI VIDETUR CREDERE EX JUDÆIS, ut taceant, QUI PAUPERES SUNT in fide Christi, & putant eum ex semine viri & mulieris esse trabentem genus ex David. Nemini dubium esse potest, quin *Origenes* hoc loco de *Ebionæis* differat, quorum appellationem aliis etiam locis ex hebr. lingua per *pauperes* interpretatur, vid. ex. c. L. II. *contra Cels.* C. 1. Intelligitur facile & illud, de utroque *Ebionæorum* genere disputare *Origenem*. Sed quid magis perspicuum esse possit, quam esse hos *Ebionæos* ex *Origenis* sententia reliquias *Judaicas*, totum scilicet genus istud *Judæorum*, qui in *Jesum crediderunt*, quatenus opponuntur christianis ex reliquis gentibus ad *Christum* conversis? Quin & ipsum *Nazaræorum* nomen utriusque horum hominum generi commune, & crassioribus non minus, quam moderationibus promiscue inditum fuisse, ex *Augustino* discimus: adeo persuasum erat priscais christianis, utrosque unius esse originis ejusdemque, quod ad summam rei attinet, disciplinæ homines. Ita vero *Augustinus*, L. XIX. C. 18. *contra Faust.* Nonnulli (ex judæis credentes) inquit, in ea perversitate manserunt, UT ET GENTES COGERENT JUDAIZARE. Hi sunt, quos *Faustus* (supra C. 4. hujus libri) *Symmachianorum*, VEL *NAZARENORUM* nomine commemoravit. Conf. id. *Augustinus contra Crescon.* L. I. C. 31. Et dogmata, quæ hic commemorantur, eorum esse, qui alias proprie *Ebionæi* vocabantur, crassiusque christianorum judaizantium genus erant, nemo facile negaverit; & *Symmachianorum* cognomen ad hoc ipsum genus proxime pertinuisse, constat. vid. *Henr. Valesius in Not. ad Eusebii Hist. eccles.* L. VI. C. 17. & *Jo. Alb. Fabricius in Not. ad Philastr. de Heres.* C. 63. p. 125. f. Hi igitur communi nomine & *Nazareni*, sive *Nazaræi* apud priscaos vocitati fuerint necesse est. Non sum nescius, *Jo. Laur. Mosheimium* loco confestim infra citando, *Augustinum* illosque, qui secundum *Augustinum* *Symmachianos* sive *Ebionæos* etiam *Nazarenos* vocabant, erroris & ignorantix arguere. Ego vero, quanquam tenuitatem meam

am

am cum acumine tantī viri comparare non sustinero, hoc tamen loco nihil sane video, quod me cogat, ut ejusmodi sententiam in *Augustinum* pronunciem. *Omnes fatentur*, inquit vir magnus, *Ebionæos sive Symmachianos sectam fuisse, a Nazaræis plane distinctam. Qui igitur fieri possit, ut isti horum nomine jure ac ratione appelentur?* Sed commode accidit, ut ipse vir doctissimus deinceps, quam hæc sint infirma intellexerit, sapiusque fieri posse, ut diversæ quodammodo factiones, propterea quod multa communia habeant ab eodemque principio profecti sint, uno communique nomine comprehendantur, ex ipso Ebionæorum exemplo agnoverit, quæ appellatio utramque factionem & crassiorum Ebionæorum & Nazaræorum complexa sit. Quare uberiori responsione opus haud est. Accedit & illud, quod ipse *Origenes* evangelium istud, quo utebantur *Nazaræi*, nomine evangelii hebræorum insignitum haud ignoraverit. Patet hoc quidem clarissime ex fragmentis hujus evangelii apud *Origenem* obviis, si eadem cum *Hieronymi* locis compares, ubi is de *Nazaræis* eorumque evangelio disputat. Conf. b. *Jo. Alb. Fabricii cod. apocr. N. T. P. I. p. 355. ff.* Hinc jam b. *Jo. Franc. Buddeus, de eccl. apost. C. V. §. 6. p. 543. 549.* recte mihi videntur rationes subduxisse, concludens, *Origeni* hocce christianorum judaizantium genus, qui ab aliis *Nazaræi* vocabantur, ignotum haud fuisse. Sane si quis consideret, scriptores fide dignos haud ita multo post *Origenis* tempora, *Epiphanium, Hieronymum, Augustinum*, aliosque commemorare genus quoddam hebræorum christianorum, ab antiquissimis temporibus existens, quod evangelium quoddam *secundum Hebræos* dictum in manibus habuerit, ab *Ebionæorum* crassiorum evangelio omnino diversum, discessisseque istud quidem genus hebræorum christianorum, ab his ipsis crassioribus in hoc potissimum, ut Christum non ex virili semine, sed ex virgine per spiritum s. natum esse statueret: si hæc, inquam, quis cum *Origene* comparaverit, qui solo quidem *Ebionæorum* nomine utitur, at differtis verbis protesta-



testatur, universos se ex Hebræis christianos hac appellatione complecti, adjicit insuper, duplicem esse istum Hebræorum cœtum, alterum ab altero in eo diversum, quod moderatio pars supernaturalem Mesiaë nativitatem ex virgine agnoscat, plane eodem modo, quo reliqui auctores judaizantes christianos *Nazaræos* statuisset asseverat, denique his ipsis Hebræis idem illud evangelium tribuit, quod reliqui scriptores Nazaræorum esse perhibent; vix ullus alicui dubitationi videtur locus relinqui posse, quin noverit *Origenes* istud judaizantium christianorum genus, quod apud alios scriptores *Nazaræorum* nomine venit, hosque cum altero isto, sive moderatori *Ebionæorum* genere, ab *Origene* commemorato, plane unos esse eosdemque homines. Imbecillitatem exceptionum, quas b. *Moshemius* contra hocce aliaque hujus generis argumenta olim protulerat, in *vindicis antiq. christ. discipl.* Sect. I. Cap. VI. §. 8. ff. p. 140. ff. ipse deinceps vir doctissimus agnovit, vid. *ejusd. Instit. histor. christ. maj. Sec. I. P. II. C. V. §. XIX.* p. 466. Eadem concludendi ratio nos in eam adducere potest ac debet cogitationem, nec *Eusebio* nec ipsi jam *Clementi Alex.* istud hebræorum christianorum genus penitus fuisse ignotum, quod quo distingueretur ab immodestioribus, peculiari nomine *Nazaræorum* appellari se volebat: uterque enim idem illud evangelium videtur commemorare, quod his quidem, quatenus a crassioribus *Ebionæis* disjuncti fuerunt, *Hieronymus* adscribit. Conf. *Jo. Alb. Fabricius* l. c. Unum adjiciam locum *Hieronymi*, *comment. in Jes. C. I. opp. T. V. p. m. 4.* Ubi perstringuntur primo *Ebionæi*, qui *abolitam legem putant servandam*, ab omnibus scilicet in universum hominibus. Hoc vero nomine *Hieronymus* eos indicare, qui ipsum Christum e virili semine natum existimabant, quosque *Origenes* primum & crassus *Ebionæorum* genus constituere solet, nemo facile dubitabit, qui, quæ *Hieronymus* aliis locis de *Ebionæis* suis refert, meminerit. Deinceps adjungit *Hieronymus* alios, quos *socios Ebionæorum* vocat, qui *Judeis tantum legem custodiendam de-*
cer-



cernant. Nazareos hos esse, qui Christum e virgine natum stantiebant, itidem nemo inficiabitur, qui sciverit, quæ ipse *Hieronymus* aliique de Nazareis narrant. At eadem plane dogmata fovebant ii, qui apud *Originem* alterum sive moderatius *Ebionæorum* genus sunt. Istos igitur Nazareos cum & ipse *Hieronymus* *Ebionæorum socios* appellet, num dubitare licet, ad *Originem* se hoc loco referre *Hieronymum*, & disertis quasi verbis fateri, a communi stirpe cum *Ebionæis* prodiisse *Nazareos*, illosque ipsos esse homines, qui ab *Origene* alterum istorum genus appellari soleant. Cæterum antiquiores nonnulli auctores, *Irenæus* imprimis atque *Tertullianus*, hanc latiore huic appellationi virtutem subiecisse non videntur; cum de *Ebionæis* semper tanquam exosis hæreticis disputent, qui non legem tantum mosaicam acerrimo studio retinere cupiant, sed & usque eo injurii sint in Servatorem, ut naturali ratione eum, sicut cæteros homines, e virili semine prognatum asseverare haud vereantur. Contra crassiores *Ebionæos* hi igitur tantummodo disputant, subtilius vero eorum genus, qui peculiari nomine *Nazareni* appellabantur, intactum prætermittunt; quoniam hi quidem haud ita procul, ut reliqui *Ebionæi*, a cæteris christianis distare, ferrique quodammodo posse videbantur. Neque hoc quidem simplicem tantummodo esse conjecturam, sed re ipsa præscos christianos ita rationes suduxisse, ex *JUSTINO M.* intelligimus, *Dial. cum Trypho. opp. p. m. 265, l. Qui*, cum interrogasset *Trypho*, utrum is, qui Jesum verum esse Messiam agnoscat, legem tamen mosaicam simul observare velit, salvari possit? ita respondet, ac tam accurate & sollicitè hanc quæstionem circumcidit atque definit, ut facile appareat, non tanquam in transitu aut theoretice tantummodo eam a *Justino* tangi, sed extitisse eo tempore re ipsa multos, qui illud, quod quærebat *Trypho*, in ipsa vita sequebantur. Horum vero duo introducit genera *Justinus*: eorum, qui imbecilliores quidem sint, quam ut sibi met ipsis, utpote Judæis gente, Mosis leges dimittendas esse decernere auderent, neque



neque tamen credentes ex gentibus ad easdem leges observandas cogere cupiant: & istorum, qui importune quosvis christianos ad Mosis jugum suscipiendum studeant adigere. Istos moderatores ipsum esse *Ebionæorum* illud genus, qui deinceps peculiari nomine *Nazareni* nuncupabantur, vix dubitari licet, si quæ de Nazarenorum dogmate circa Mosis legem prisca auctores tradiderunt, sine partium studio consideraverimus. Importuniores vero hi quinam alii sint, nisi crasiores *Ebionæi*, quibus hæc ipsa importunitas a prisca scriptoribus crimini dari solet? Istos ferri & pro fratribus agnosci debere *Justinus* decernit: hos vero rejiciendos averandosque esse. Facile igitur accidit, ut prisca christiani, cum contra *Ebionæos* hæreticos disputarent, prætermisso moderatori genere *Nazarenorum*, solos illos sub isto nomine perstringerent, qui crasiores & importuniores erant. Fateor, moderatores istos in dogmate de persona Christi puriores innocentesque crasioribus Ebionæis haud multum fuisse, neque alterum genus altero hæc in parte peccasse multo gravius, utrosque potius reipsa unam eandemque de Messia servatore sententiam, quod ad divinam ejus majestatem attinet, propugnasse deinceps suo loco ostendetur: sed quis est, qui nesciat, quantum vel amor vel odium in interpretandis atque excusandis accusandisque aliorum sententiis valeat? *Nazaræi*, cum benigne blandique credentes ex gentibus complecterentur, quamvis alienos a mosaicis institutis, ipsumque b. Paullum, gentium doctorem atque Apostolum collaudarent suspicerentque; hujus modestiæ hunc tulerunt fructum, ut & vicissim reliqui christiani eos æquiori tractarent animo, & ad reliquos ipsorum imbecillitates aut non satis attenderent, aut benignius certe eas interpretarentur, putarentque eas cum communi christianorum reliquorum sententia conciliari quodammodo posse. Immodestiores contra illi, qui strictim *Ebionæi* appellabantur, importunitate ferociaque sua, qua non solum reliquos ex gentibus conversos christianos averabantur, nisi Mosis legi cervicem subdere velint,



velint, sed ipsum *Paullum* magnis afficiebant injuriis, usque eo exacerbantur contentione, ut græci christiani ad retundendam eorum ferociam in alios etiam ipsorum errores severius animadverterent, & quidquid ipsis crimini dari posse videbatur, colligerent atque exaggerarent. Non immerito igitur *Hieronymus* pronunciaſſe mihi videtur, *Ebionitas, credentes in Christo, propter hoc solum a patribus anathematizatos esse, quod legis ceremonias Christi evangelio miscuerunt, & sic nova confesi sunt, ut vetera non amitterent.* *Epist. ad August.* quæ incipit: *tres simul epistolas.* *Opp. T. III. p. m. 155.* Non ignorabat scilicet *Hieronymus*, longe plures errores perstrinxisse priscos christianos in *Ebionæis*: sed istam de necessitate legis mosaicæ opinionem primam & præcipuam causſam fuisse recte pronunciat, quare prisci patres hoc hominum genus plane repudiarent, reliquisque eorum erroribus plane nullam tribuere voluerint veniam aut excusationem. Hinc & *Hieronymus* confestim l. c. de altero genere judaizantium christianorum, *Nazaræorum* inquam, longe mitiorem sententiam subjungit, *credere eos in Christum filium Dei natum ex virgine, asseverans, in quem & nos credimus.* Quibus verbis, quod ex tota orationis cohærentia apparet, *Nazaræorum* de persona Christi dogma excusare, reliquorumque christianorum recte sentientium dogmati consentaneum illud esse, affirmare studet. *Ebionæi*, si istum de nativitate hominis Jesu e virili semine errorem excipias, cæterum de persona Christi ejusque summa divinitate eandem plane doctrinæ formam sequebantur, quam *Nazaræi*: neque ipse *Hieronymus* illis hoc quidem denegare audent, *quod in Christo credant.* Nihilominus tamen hosce *Ebionæos* plane repudiat, cum *Corintho* eos comparans, omiſſaque omni excusatione, *ipsos christianos esse se simulare* tantum adjiciens: cum interea *Nazaræos* purgare & pro plane orthodoxis hac in parte venditare conetur. Quam moliter *Justinus M.* istos *nazaræos* christianos tractandos esse censet, supra ex *dialogo* ejus cum *Tryphone judeo* intelleximus;


c

cum



cum interea contra protervos istos, qui *Ebionaeorum* dogma sequebantur, severissime pronunciet. Ipse *Origenes* quanquam ipsi, loco supra ex *serm. de duob. caecis* prolato, disputatio primum contra utrumque judaizantium christianorum genus instituta fuerit, sensim tamen & molliter orationem a moderatori generi avertens, his indulgenter quasi dimissis, in solis crassioribus *Ebionæis*, qui *Christum e virili semine natum esse putant*, perstringendis desinit. Conveniebat hæc indulgentia atque moderatio primis maxime rei christianæ temporibus, quibus græci romanique christiani memores, ipsum sese evangelium atque regni *Messiani* notitiam a *Judæis* accepisse, & ex mera gratia ad spem *Israelis* esse aggregatos, reverentia quadam atque animi veneratione primitivum *Christi* coetum e *Judæis* collectum adhuc suspiciebant atque complectebantur: nec sine ratione quis affirmaverit, exemplum hujus indulgentiæ ipsos ab *Apostolis* duxisse, b. *Paullus* certe multis in locis totus in eo est, ut ad ejusmodi sensum atque animi affectum credentes e gentibus erga ejusmodi christianos, qui ex imbecillitate quadam animi judaicis institutis nondum plane renunciare posse videbantur, adduceret, eosque præmoneret, ne hujus generis imbecillos fratres judaizantes superciliose contemnerent & repellerent, vid. e. c. *Epist. ad Rom.* C. IX. X. XI. XIV. quanquam cæteroquin protervos istos pseudapostolos, qui invincibili mentis quadam pertinacia *Mosis* leges aliis imponere studebant, quorum progenies quædam *Ebionæi* crassiores videntur esse, increparet severissime, omnesque christianos hortaretur summo studio, ut contagionem eorum caveant. Sed lapsu temporis, cum paullatim communio inter ipsos moderatiores istos judaizantes, sive *Nazaræos*, & græcos christianos, videatur intermissa esse, hisque illi fierent ignotiores, aliique aliis magis magisque se subtraherent; etiam æquitas ista animi spesque lucrandi & ab omnibus erroribus abducendi *Judæos* istos apud reliquos christianos refriguisse videtur, neque hi quidem quidquam rationis ulterius sibi putabant superesse, cur

cur erroribus atque vitiis istorum diutius parcerent. Hinc *Eusebius* jam palam & sine ambagibus utrumque *Ebionæorum* genus ejusdem erroris contra divinam *Messæ* majestatem reos pronunciat, *Hist. eccles.* L. III. c. 27. Quanquam nec crassiorum *Ebionæorum*, nec subtiliorum, sive *Nazaræorum* dogma recte intellexisse videatur, hisque posterioribus præcipue, quoniam ipsorum rationes, ut ego quidem putaverim, non satis novit, in nonnullis apertam injuriam faciat, *Origenem* secutus, qui itidem hac in parte, quod statim videbimus, ex ignorantia quadam rerum istius coetus errasse videtur. Hinc & *Theodoretus* simpliciter *Nazaræos* Judæorum nomine perstringens, colere ipsos *Christum* tanquam *justum tantummodo hominem, asseverat. Heret. fab.* L. II. C. 2. Atque sic accidit, ut & subtiliores hi *Ebionæi* sensim sub peculiari nomine *Nazaræorum* in hæreticorum catalogum referrentur; cum ipsis antiquissimi christiani scriptores pepercissent, neque eorum apud *Justinum* aut *Tertullianum*, tanquam hæreticorum, ulla mentio injecta esset. *Hieronymus* tamen, qui familiaritatem aliquam cum *Nazaræis* contraxerat, eorumque rationes perspexerat paullo accuratius, famam ipsorum quodammodo restituit, atque ipso auctore, quod non sine ratione suspicari quis possit, *Augustinus* aliique deinceps mitius rursus de hisce hominibus sentire cœperunt. Cœterum, cum utrumque istud christianorum judaizantium genus sæx quasi quædam esset primitivæ hierosolymitanæ ecclesiæ, & ex iis confluxisset hominibus, quos ne ipsa quidem Apostolorum auctoritas compescere plane poterat, quin patriis moribus opinionibusque tenacissime adhærerent; facile intelligitur, qua ratione fieri potuerit, ut & alios neque exigui momenti errores retinerent, qui ex theologia suæ gentis tum temporis jam vehementer corrupta originem traxerant, quanquam Apostolorum doctrinæ adversarentur. Serpebant ejusmodi errores inter istos Judæo-christianos Apostolis superstitionibus tantum tectè quasi & occulto, utpote qui illis fortiter resistebant, ecclesiamque judæo-christi-



christianam ab iis purgare summo studio conabantur, quod legentibus epistolas apostolicas facile patet. Sed post Apostolorum obitum, cum discedentibus iis, qui illorum auctoritate unice stabant, aggregantibusque sese ad græcos christianos, soli ii remanerent, ecclesiamque judæo-christianam constituerent, quibus patria instituta ipsis Apostolis quodammodo erant potiora; facile accidit, ut & reliquæ opiniones judaicæ inter ipsos capus extollerent, neque jam timide aut tectè, sed palam propugnarentur, principatumque obtinerent.

Hæc igitur *Moshemiana* de origine rebusque gestis *Ebionæorum* sententia, quacunque ex parte eam consideraveris, tanta se commendat verisimilitudinis specie, tamque pulcre cum rebus temporibusque primorum christianorum convenit consentitque, ut vix quidquam ulterius desiderari posse videatur. Una tamen restat difficultas, in qua quidem dissolvenda & removenda ipsum me mihi satisfacere nondum plane potuisse, ut candide atque ingenue fatear, fas est. *Origenes* L. V. *contra Cels.* p. 272, *Edit. Spenc.* utrumque *Ebionæorum* genus videtur injuriarum atque odii in b. *Paullum* Apostolum dissertis verbis postulare: εἰσι τινες αἵρεσεις, inquit, τὰς παυλῶς ἐπιστολάς τε ἀποστολῶν μὴ προσιεμεναι, ὡς περ ἑβραῖοι ἀμφοτέροι: *sunt non-nulle sectæ, qui epistolas Pauli apostoli non admittunt, ut utrumque Ebionæorum genus.* Hæc verba si ita capias, quomodo capienda videntur, ut *Origenes* utrique horum hominum generi parem contra *Paullum* Apostolum ejusque doctrinam occupatum & infensum animum tribuat; moderatius illorum genus, qui Christum e virgine natum fatebantur, nullo modo ii possunt esse, qui deinceps peculiari nomine *Nazareni* vocitati sunt. Hos enim ex *Hieronimo* constat, qui probe eos noverat, *Paullum* ejusque prædicationem & merita agnovisse complexosque esse, vid. *Hieron. Comment. in Cap. IX. Jesh. opp. T. V. p. m. 19.* Rursum vero, cum *Origenis* utrosque *Ebionæos* pro iis habeas, qui
sejun-

sejuncti a Nazaræis, isto nomine stricim & peculiari modo appellati sunt; committes *Origenem* cum vetustioribus melioribusque rei christianæ scriptoribus cunctis. Etenim nec *Justinus* M. nec *Tertullianus*, nec alius quisquam ante *Origenem* aliud hominum genus novit, qui proprie *Ebionæi* vocarentur, nisi crassos istos, qui servatorem e virili semine natum censebant: ignorant omnes isti *Origenis* subtiliores *Ebionæos*, si quidem eos a Nazaræis diversos fuisse statuas. Putaverim igitur *Origenem* accuratori notitia rerum Ebionitarum destitutum fuisse, omnibusque propterea sine discrimine & cum injuria quadam crimini dedisse, quod deteriores tantummodo peccabant. Neque id quidem insolens est priscis scriptoribus, ut ex præcipitantia quadam aut ignorantia alios criminibus onerent, quorum innocentes sunt, aut sententiam certe eorum invidiosius interpretarentur, quam par erat: cujus rei exempla nonnulla in ipsis Ebionæorum nostrorum rebus infra proferemus. Emendetur igitur *Origenis* narratio aliqua ratione ex *Hieronymo*, dicaturque tantum unum *Ebionæorum* genus, crassius scilicet istud, b. *Paullum* repudiasse; aut *Origenis* verba non tam de doctrina ipsa, quæ in *Paulli* epistolis traditur, sed de eo tantum exponantur, quod moderatioribus Ebionæi istas epistolas quoad exteriorem formam, prouti a reliquis christianis circumferebantur, ignoraverint, vel saltem de illis dubitaverint: aut si hæc non placent, conciliet quisque, prouti ipse lubet, *Origenem* cum reliquis auctoritatibus. Ad meam enim disputationem hoc proprie & proxime nihil atinet, quæ de crassioribus præcipue Ebionæis, eorumque vera ratione investiganda, instituta est.

Hos igitur homines ego quidem non ab omni plane peccato contra dogma de persona Christi, liberos & immunes pronuncio: neque hac in re *Jac. Rhenferdum*, in *dissert. de fictis judeor. heres.* modum excessisse, facile quisquam inficiabitur. Habuerunt suos nævos, eosque satis graves atque capitales, quos



ex corrupta istius temporis judaica theologia contraxerant. Ausim tamen adferere, non *Nazaræos* tantum, quorum causam qui jam ante hac egerint infra suo loco indicabuntur, sed & immoderatos istos cæteroquin *Ebionæos*, quod ad divinam Mesſiæ majestatem attinet, longe tolerabilius statuiffe, ac vulgo putantur. Illud certe extra omnem dubitationem positurum me esse confido, a *Photini* atque *Socini* impietate ipsos longissime fuisse remotos, nec unquam ita exiliter de Christo sensisse, ut nudam simplicemque hominis naturam ad obeunda exequendaque Mesſiæ munera putarint suffecisse, aut aliquam peculiarem divinam personam, quæ apud supremum Patrem ab æterno existerit, cum JESU homine suo modo sese ad perficiendum grande redemptionis opus conjunxisse negaverint. Non defuerunt jam pridem doctissimi viri, quibus suspicio aliqua de Ebionæis nostris in mentem venit, mitigandam paullo esse sententiam in ipsos prolatam. Sed alii obiter tantum conjecturas suas protulerunt nullis additis rationibus: alii minus firmas aut plane falsas adhibuerunt rationes, dumque purgare studuerunt *Ebionæos*, aut plane egerunt nihil, aut æque gravibus ipsos implicuerunt criminibus, utpote qui eodem loco habendi sint, quo *Cerinthiani*. Vid. præter *Jac. Rhenferdum* l. c. b. *Thom. Ittigius*, *Dissert. de heresiarch. ævi apost.* Sect. I. C. VI. §. VIII. p. 72. *Ebreg. Dan. Collberg* de *Orig. heres.* C. I. §. X. p. 26. *Campeg. Viringa*, in *observat.* t. L. V. C. X. §. 7. 9. p. 127. ff. *Jo. Millius* in *not. ad 1 Joa.* IV, 3. *Ad. Frider. Lampe* in *Proleg. Comment. in Joa.* L. II. C. III. §. 38. ff. Plerique tamen recentiorum contra Ebionæos ferivissime pronunciant, omnem ipsos Mesſiæ detraxisse divinitatem, nihilque plane ipsum, *Photini* & *Socini* more, putasse, nisi nudum simplicemque hominem, qui ad summum virtute aliqua divina, ut reliqui prophætæ, animatus & pulsus fuerit. Operæ igitur pretium me facturum arbitror, ob causas supra ab initio hujus commentatiunculæ prolatas, si istorum rationes atque de divina Christi majestate sententiam in lucem paullo apertiozem protraxero. Sed

Sed cum hujus rei argumenta paullo copiosorem postulent disputationem, hanc quidem in proximam, juvante Deo, occasionem differo; in præsentia vero, CIVES, istud admonitos vos esse volumus, quam grave quamque horrendum crimen sit, veram Servatoris nostri divinamque impiis erroribus lædere majestatem. Exstiterunt olim impudentes & protervi divinæ veritatis de CHRISTO DEO hostes, qui cum christianos se dicerent, pusillanimitate vero mentis atque afflictionum metu, quibus primi christiani obnoxii erant, abnegassent τον δεσποτα, *Dominum*, qui ipsos redemit, id excusationis gravissimo crimini obtendere non erubuerunt, *simplicem se hominem, non Deum abnegasse*, eoque duces & auctores impietatis erga Servatorem inter christianos facti sunt. Vid. de *Theodoro Byzant.* *Eusebii Hist. eccl.* L. V. C. 28. Fertilis fuit & recentior ætas ejusmodi hominibus, qui, utut *Messias* tanquam verus Israelis Deus a prophetis promissus & annunciatus, a prisca ecclesia judaica expectatus, ipsius *Domini*, cum in his terris degeret, testimoniis, Apostolorumque prædicationibus, scriptis, laboribus declaratus, nec a prima Christi ecclesia unquam aliter creditus sit; utut etiam hæc locus primum & maxime capitale momentum totius religionis divinitus patefactæ sit, cui reliqua omnia, cultus divinus Christo exhibendus, beneficia ejus, obedientia ipsi præstanda, modus & ratio ipsum recipiendi & perveniendi per ipsum ad veram beatamque vitam, sive totus ordo salutis superstruuntur: sunt, inquam, qui christiani videri cupiunt, nihilo fecius tamen his cunctis deterreri hæud possunt, quin totam vitam suam, immensos fere labores, enixissimaque sua studia in id unice impendant, litteris, doctrina, eruditione abutantur, omnia moveant, quæ possunt, ut conquirant aliquid, quo divinæ majestatis gloriam Servatori optimo detrahere, ipsumque ad sortem reliquarum creaturarum detrudere possint. Sunt denique, qui impudentiam horum conatuum perspicientes, non audent equidem aperte eosdem approbare; non adeo magni tamen momenti

rem



rem esse cuperent nobis persuadere, quomodocunque tandem de Christo sentias: sive Deum ipsum putes, sive nudam simplicemque creaturam. Quasi vero exigua res, nec summum execrandumque scelus sit, aut simplicem hominem divino cultu prosequi, aut ejus, qui vere Deus est, qui ad redimendos nos miseris homo quidem factus, Deus tamen mansit, venturusque est tremendus iudex & vindex eorum, quæ peccatores dura contra ipsum prolocuti sunt, JUD. v. 15, ejus, inquam, divinam lædere & proculcare majestatem. Nos igitur, CIVES, eo magis attendamus nobismet ipsis, ne cum hujus generis exitiosis erroribus una abripiamur. Excutiamus serio nefandam istam incuriam atque animi levitatem, quæ in religionis negotio ita occupavit maximam hominum nostrorum partem, ut veram priscamque Christi religionem fere inter ipsos christianos desideres. Memores simus, quantum habeamus pontificem, JESUM, FILIUM DEI, sedentem ad dextram majestatis in cælo, eaque ratione his diebus festis meditemur divinam Servatoris nostri gloriam, ut ipsi verum fidei obsequium, integrumque amoris & grati animi affectum præstare discamus, abjecta indigna ista peccati carnisque servitute: ne exitium & interitus nos opprimat. HEBR. II, 1-3. III, 1-8. IV, 1. 2. 11. X, 28-31.

P. P.

BUETZOVII, IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
SUB SIGILLO ACAD.
IPSO SERVATORIS NATALI DIE MDCCLXVI.



33
LBMV Schwerin
000 630 772






Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837132623/phys_0028





the scale towards document

quibus aliqua inerat modestia, Apostolorum
modo iste tumor, intelligebantque Deum re-
rosis lege per Christi servare fidem constitu-
XV, 1. 5. 22. ff. Quod ad ipsos vero Ju-
iplos quidem Apostolos isti Judæo-christi-
antiaque mosaicæ legis videntur divelli & ab-
Act. XXI, 29. ff. Ferebant hoc quidem
uadam ducti, quoniam sciebant, brevi tem-
teritum & exscidium reipublicæ & eccle-
is atque potestas legum istarum sponte sit
e ipsa præclare eveniebat, ut vel pertinacis-
ionæi nostri, post templi exscidium eas fal-
sissime & abjecisse videantur, quæ in Christi-
do perdurare potuerunt, sacrificia inquam,
m per Christum factam Ebionæi non intel-
& sensisse videntur, pertinacem & obstina-
nem in præcipuis causis interitus Judæo-
e. Vid. *Epiphan. Heres. XXX. C. XVIII.*

Nihilo secius tamen istud legis studium
istorum hominum parti tam alte erat infi-
modestiores illi per totum istud tempus,
mitana ante urbis exscidium stabat, perdu-
e in isto cœtu obtinerent; sed & importuni
Christum conversos gentiles ad legis cære-
gandos esse statuebant, ne ab ipsis Aposto-
semper potuerint, quin ipsis propemodum
cierent turbas. Contentio ista *Paulli Pe-*
e Antiochiæ acciderat, huc videtur refe-
ti seqq. Patet enim ex ultimis verbis *com-*
ontro-versa versatum esse, de eoque actum,
is legis judaicæ præceptis sint subjiçendi,
emo Judæorum posset cum istis christianis
mmunionem familiaritatemque eorum co-
lere?

b

lere?